



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 78. Bessarion Cardinalis ad Imperatorem, alisque Germaniæ Principes
ablegatus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV.
A.C. 1458.

§. LXXVII.

*Pontificis epistola ad Podiebracium
Bohemiæ Regem.*

*Cochl. Hist.
Hussit. lib. 12
p. 416.*

Eodem quoque argumento Pius II. ad alios Principes, prout quemque, habita status, & conditionis ratione decebat, literas dedit. Præprimis ad eundem Conventum Podiebracium vocat, nec illum Bohemiæ Regis nomine honorare amplius dubitat; eoquod Callistus III. jam eum Regem nominasset, & ipse exterius saltem hæresin abjurasset. Ad hanc Pontificis epistolam respondit Podiebracius, exposuitque, semetipsum ad Mantuana comitia haud venturum, cum vel maxime a Silesitis sibi adhuc rebellibus impediretur; missurum tamen se Oratores suos spondit.

§. LXXVIII.

*Bessarion Cardinalis ad Imperatorem,
aliosque Germanicæ Principes
ablegatus.*

Cum suprema Cæsaris Majestas tam auctoritate, quam potentia inter ceteros principatum obtineret; Papa ad Fridericum Imperatorem, sicut & ad alios Germaniæ Principes ipsum Bessarionem Cardinalem decrevit, qui eos adhortaretur,

tur, ut junctis viribus & animis ad tam Sæcul. XV.
A.C. 1458.
salutare opus concurrere haud negligere-
rent. Attamen Bessarion ob mutua Prin-
cipum dissidia, ac jamjam imminens belli
periculum adeo turbatam reperiebat re-
rum faciem, ut nequidem alloqui co-
piam nancisceretur.

§. LXXIX.

Turbæ in Germania.

Prima dissidiorum causa erat, quod Mat-
thias Hungariæ Rex sacram coronam
a Cæsare detentam sibi non restitui æ-
gerrime ferret; hac enim, quamdiu in-
signitus non esset, tamdiu juxta super-
stitiosam illius patriæ consuetudinem
nunquam legitimam regni possessionem
acquirere potuisset, sed nonnisi nu-
dum Regis nomen gessisset.

Ex altera parte Podiebracius conti-
nua, quæ Imperator clam, palamque
indies contra stabile illius Regimen in
Bohemia fovebat, molimina penitus erat
pertæsus, atque omnibus Friderici exau-
ctorationem suadentibus faciles aures
præbebat. Præterea Albertus IV. Fri-
derici frater, & Sigismundus I. Austriæ
Dux ejusdem Patruelis, necnon Bavarie
Dux, Moguntinus, & Palatinus Rheni E-
lectores, ac omnes ferme Germani ad-
versus Cæsarem conspirabant. Quocir-